IN

UNIVERSITATE
LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM A. MDCCCLXII.

A DIE XXVIII. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

PRAEMISSA EST A. ROSSBACHII DE CHOEPHORORUM CANTICO QUINTO COMMENTATIO.

TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH).

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS

COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS S. P. D.

Carmen Choephororum quintum, quod Aegistho et Clytaemnestra trucidatis a servarum choro cantatur inde a v. 935 exemplaris Dindorfiani, speciem prae se fert *ἱεροῦ ὀλολυγμοῦ*, qualem mulieres in victimarum caede tollere solebant. De quo Graecorum more cum alii, quos C. Fr. Hermannus in antiqq. sacr. p. 130 memoravit, tum Elmslejus ad Eurip. Heracl. v. 782 et Weilius ad Choeph. v. 386 dixerunt. Hinc mesodi illud, quo totius cantici argumentum continetur, profectum est:

Ἐπολολύξατ᾽ ὠ̓ δεσποσύνων δόμων ἀναφυγὰς κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς
ὕπαὶ δυοῖν μιαστόροιν, δυσοίμου τύχας.

Hujusmodi enim clamorem in Aegisthi et Clytaemnestrae morte editurum se supra dixerat chorus:

v. 386 *ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι πευκάεντ᾽ ὀλολυγμὸν ἀνδρὸς*
θεινομένου γυναικός τ᾽ ὀλλυμένας,

ubi nulla opus est mutatione, dummodo versus recte digerantur, et altero loco, qui multis laborat incommodis:

v. 819 *καὶ τότ᾽ ἤδη κλυτὸν δωμάτων λυτήριον*
θῆλυν οὐριοστάταν ὁμαυλόκρεκτον γοητῶν
νόμον μεθήσομεν πόλει.

Gaudio igitur exsultat chorus et gestit, nihilominus tamen dochmiacis numeris utitur. Nimirum inest in hoc gaudio tristitia aliqua, praesagit enim chorus animo, Orestem nondum ab omni fortunae vexatione immunem fore, id quod tecte et occulte, sed tragicae artis peritis satis clare significavit his:

v. 965 *τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται πρόθυρα δωμάτων, ὅταν ἀφ᾽ ἑστίας πᾶν ἐλάσῃ*
μύσος καθαρμοῖσιν ἄταν ἐλατηρίοις.

in quibus *ἑστίας μύσος* arae domesticae dicitur contaminatio, quae matris caede facta est. Accedit altera caussa, quae ex legibus, quibus Aeschylus dochmiaci metri usum temperavit, est repetenda.

Metro dochmiaco — loquimur autem de continuo ejus usu, quem *συνεχῆ ῥυθμοποιίαν* veteres appellant, non de singulis ordinibus, qui aliis metris *διεσπαρμένως* aut re vera sunt intermixti, aut intermixti creduntur — Aeschylus in canticis choricis non solet uti, nisi aut in iis, quorum strophae histrionum sermonibus interpellantur, aut in iis, quae inter hemichoria vel, ut alii credunt, inter singulos choreutas sunt dividenda. Atque prioris quidem usus haec sunt exempla: Sept. v. 211 *ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων* v. 417 *τὸν ἀμὸν νῦν ἀντίπαλον εὐτυχεῖν*. Suppl. v. 347 *παλαίχθονος τέκος, κλῦθί μου*. Agam. v. 1407 *τί κακόν, ὦ γύναι;* posterioris autem haec: Eumen. v. 143 *ἰοὺ ἰού, πόπαξ*. v. 255 *ὅρα ὅρα μάλ' αὖ*. v. 778 *ἰὼ θεοὶ νεώτεροι παλαιοὺς νόμους*. v. 837 *ἐμὲ παθεῖν τάδε*. Sept. v. 78 *θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη*. Quare quum satis cognitum sit, quam severe Aeschylus leges suas observaverit, necessario eo compellimur, ut Choephororum canticum illud non ab universo choro, sed ab hemichoriis cantatum credamus. Idem suadent duae aliae res, quas digito monstrasse satis erit. Primum enim in cantico de quo agimus eadem est verborum interpunctionisque concinnitas atque in reliquis antichoriis:

στρ. α'	*ἔμολε*	. . . .	*βαρύδικος ποινά,*
ἀντ. α'	*ἔμολε*	. . . .	*δολιόφρων ποινά.*
στρ. α'	*ἔμολε δ' ἐς δόμον*	. . .	*διπλοῦς Ἄρης.*
ἀντ. α'	*ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ*	. . .	*Διὸς κόρα.*
στρ. γ'	*πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.*		
ἀντ. γ'	*πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.*		
μεσωδ.	*δυσοίμου τύχας*		
ἀντιμ.	*δυσοίμου τύχας*		

quod alterum *ἐπιφώνημα* excidisse infra demonstrabimus. Deinde hiatus, quem Aeschylus in totius chori canticis, quibus hic illic dochmiaca systemata sunt intermixta, admittere non solet, nisi ubi dochmiacos numeros alii numeri sequuntur, (nam post interjectiones, Vocativos et similia in omni canticorum genere major est libertas) hiatus igitur, quum in carmine illo inter duos dochmiacos deprehendatur admissus, testis est hemichoriorum alternationem illatam esse his locis: *βαρύδικος ποινά — ἔμολε δ' ἐς δόμον* et in antistropho *δολιόφρων ποινά — ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ*. Reliquarum autem stropharum quae fuerit in hemichoria partitio, ex universa carminis compositione est colligendum. De qua G. Hermannus olim rectius in scholis, quibus interfuimus, judicavit quam in exemplari emisso, in quo strophas *κατὰ συζυγίαν* sequentes fecit:

α' α' — β' β'.

Sed dubitari non potest, quin verus hic sit stropharum ordo mesodicus:

α β α γ β γ

quem recentiores secuti sunt omnes, Ahrensius, Franzius, Weilius. Hoc enim modo et ingens illa lacuna, qua Hermannus carmen venustissimum deturpavit, sine ulla molestia evitabitur et paucula ea verba, quae interciderunt, facile suppleri poterunt. Mesodico igitur ordine quum strophas dispositas existimamus, efficitur syzygiam β′ sic fuisse inter hemichoria divisam:

στρ. β′.

Ἡμ. α′. *τάπερ ὁ Λοξίας . . . . ἐποίχεται.*
β′. *κρατεῖται . . . . . . ἰδεῖν.*

ἀντ. β′.

Ἡμ. α′. *τάχα δὲ παντελὴς . . . ἐλατηρίοις.*
β′. *τύχᾳ . . . . ἰδεῖν.*

At mesodi nullam admittunt divisionem. Recte, non enim a coryphaeo neque ab hemichoriis sunt cantatae, sed ab universo choro una concinente. Probabile id fit cum reliquorum dichoriorum similitudine, in quibus epodum vel ultimam carminis partem toti choro tribuendam alias docuimus, tum eo, quod mesodis illis *ἱερὸς ὀλολυγμὸς* vel faustus clamor continetur, quem una ab omnibus tolli choreutis consentaneum est.

Haec de carminis indole in universum, nunc singula persequamur. Corruptissima est stropha tertia, cujus prior pars in Mediceo haec est:

τάπερ ὁ λοξίασ ὁ παρνάσσιος
μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς ἐπ᾽ ὄχθει ἄξεν
ἀδόλως δολίας βλαπτομέναν
ἐν χρόνοις θεῖσαν ἐποίχεται.

Quae Hermannus sic refingenda censuit sex versus interceptos ratus:

v. 941 *μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς,* *[*ὁ Πύθιος*
μεσομφάλοις θεός παρ᾽ ἐσχάραις]*

* * *

. . . . [ἅ]
δολία σε δολίαν
v. 951 *βλαπτομένα χρονισθεῖσαν ἐποίχεται.*

Hac vero ratione si res agenda esset, omnino desperandum de horum versuum redintegratione foret. At desperandum non est. Multo melius nuper Weilius locum partim ex suis, partim ex aliorum conjecturis conformavit hoc modo:

μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς ἐπορθιᾷ,
ξὺν ἀδόλοις δόλοις βλαπτομέναν [πάλαι
δίκαν] ἐγχρονισθεῖσαν ἐποίχεται.

Sed verba interpolata *πάλαι δίκαν* omittere et in reliquis propius ad Medicei libri scholiorumque memoriam accedere debebat. Nam quod verba illa *πάλαι δίκαν* sponte offerri scribit scholio: *ἐπεξῆλθε τὴν δίκην τὴν βλαπτομένην ἐκ πολλοῦ Ὀρέστης*, vix quemquam habebit consentientem, quum libera haec sit ac maximam partem perturbata sententiae explicatio, quae multum differt ab altero scholio eoque et meliore et vetustiore, quod ad genuinam scripturam multo propius accedit: *τὴν Κλυταιμνήστραν, τὴν δολίως βλάπτουσαν καὶ ἐπὶ πολὺν χρόνον τὸν οἶκον ἐποίχεται ἡ δίκη.* Ex quo scholio intelligitur, primum antiquitus non *βλαπτομέναν* lectitatum fuisse, sed aliud licet simile vocabulum, quo Clytaemnestra significabatur, deinde neque Orestem neque Apollinem *ἐποίχεσθαι*, sed Justitiam, de qua paullo ante haec dicta sunt:

ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ χερὸς ἐτήτυμος
Διὸς κόρα — Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν βροτοὶ τυχόντες καλῶς —
ὀλέθριον πνέουσ' ἐν ἐχθροῖς κότον.

Quibus stabilitis sequitur sententiam in universum fuisse hanc: „Quemadmodum Apollo erat vaticinatus, sic Justitia in Clytaemnestram invehitur caedisque poenas repetit.“ Sed ubinam scriptum est vaticinatum esse Apollinem? Delituit hoc in corrupta Medicei scriptura *ἐποχθειαξεν*, quam primus Palejus sagacissime intellexit ortam e verbo *ἐπορθιάζειν* scribens *ἐπορθιάζων*. Idem fere Weilio in mentem venit Paleji exemplari nondum cognito: *ἐπορθιᾷ*. Neutrum tamen ex omni parte probaverim, quum unius litterae mutatione multo commodius tragicique sermonis proprietati convenientius scribi possit: *ἐπορθίαξεν*, ut Suppl. v. 39 *σφετεριξάμενον* et Agam. 130 *Μοῖρ' ἀλαπάξει*. Alteram corruptelam *ἀδόλως δολίαν* vel *δολίας* (utrum enim in Mediceo scriptum sit, ambigitur) Clausenus sustulit certissima emendatione: *ἀδόλοις δόλοις*, quam locutionem praeclare interpretatus est memorato fragm. 273: *ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.* Restant igitur emendanda haec: *βλαπτομέναν ἐν χρόνοις θεῖσαν.* Atque posteriora quidem *ἐν χρόνοις θεῖσαν* ex *ἐγχρονισθεῖσαν* diducta esse eodem modo, quo *ἐπ' ὄχθει ἄξεν* ex *ἐπορθίαξεν*, neminem fugit viam monstrante Hermanno, qui olim *χρονισθεῖσαν* erat suspicatus; prius vero vocabulum *βλαπτομέναν*, quod et sententia et metro respuitur, quomodo emendandum sit, dubitari potest. Illud tamen certissimum est metrum laborare nisi duabus syllabis resectis, orationisque nexu activam formam requiri, non passivam. Cui incommodo succurrit alter ille scholiasta, qui integram nobis servavit structuram: *τὴν Κλυταιμνήστραν τὴν δολίως βλάπτουσαν καὶ ἐπὶ πολὺν χρόνον τὸν οἶκον ἐποίχεται ἡ δίκη.* Is in exemplari, quod secutus est, vocem invenit activae significationis eamque talem, quae explicatione egeret. Neque verisimilius quidquam conjici posse puto, quam quod Reisigius et H. L. Ahrensius conjecerunt: *βλάβαν*, qua voce optime et metro et sententiae consulitur. *Βλάβη* enim poetarum more et culpa ipsa crimenve dicitur, et is, qui culpam commisit. Totum igitur locum sic purgatum exhibemus:

τάπερ ὁ Λοξίας ὁ Παρνάσιος μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς ἐπορθίαξεν, ἀδόλοις δόλοις βλάβαν ἐγχρονισθεῖσαν ἐποίχεται.

h. e.: „Quemadmodum vates Parnasius magnum tenens angulum terrae vaticinatus est, sic Justitia dolis non dolosis culpam inveteratam persequitur.“

Altera strophae pars in Mediceo sic legitur:

κρατεῖται πὼς τὸ θεῖον
παρὰ τὸ μὴ ὑπουργεῖν κακοῖς,
ἄξιον δ' οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν.
πάρα τε φῶς ἰδεῖν.

Haec quomodo ab Hermanno aliisque sint mutata, nolo referre satis ducens unius Weilii memorare scripturam:

κρατεῖται [γὰρ οὔ]πως τὸ θεῖον [βροτοῖς]
πάρα τὸ μὴ [◡ _] ὑπουργεῖν κακοῖς.
ἄξια δ' οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν. κτλ.

E quibus hoc probamus, quod Hartungio auctore pro *παρὰ τὸ μὴ ὑπουργεῖν* scripsit *πάρα τὸ μὴ ὑπουργεῖν*, reliqua vero minus feliciter conjecta putamus. Quamvis enim Weilius ex antistrophi corruptelis violentae mutationis excusationem quandam petere possit, tamen qui strophae sententias numerosque consideraverit, eum haudquaquam praeteribit, stropham antistropho minoribus laborare vitiis eamque ob caussam non in stropha sed in antistropho fortem adhibendam esse medicinam. Atque sententiae quidem strophae satis sunt integrae, nisi quod in primo versu, qui arctissime nexus cum antecedentibus est, haec requiritur: non vinci Deorum potentiam, sed semper eos victoriam reportare; numeri vero qua ratione digerendi sint, patet ex hiatu *πάρα τὸ μὴ — ὑπουργεῖν κακοῖς.* Ex quo necessario consequitur versum esse voce *μὴ* terminandum neque mutandum quidquam, nisi verbum *κρατεῖται*, quo sententia prorsus turbatur. Ei corruptelae medebimur sic scribendo:

κρατεῖ δ' ἀεί γέ πως τὸ θεῖον. πάρα τὸ μὴ
ὑπουργεῖν κακοῖς, ἄξιον δ' οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν. πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.

Videlicet *κρατεῖται* mutavimus in *κρατεῖ δ' ἀεὶ* inserto *γε*, quod a sententia non abhorret, metro flagitatur; reliqua autem, quoniam aptissimam habent sententiam rectosque numeros, intacta reliquimus. Atque ne haec quidem *ἄξιον δ'* cum Hermanno in *ἄξια* mutentur necesse est, quum legitima sit bacchiorum cum dochmiacis consociatio. Hinc prodit totius strophae sententia haec: „Ex Apollinis oraculo Justitia culpae inveteratae poenas repetivit. Semper autem Deus victor existit manifestumque est illud, non esse serviendum malis. Par igitur est coeleste imperium revereri.“

Antimesodi facilior est emendatio, quum mesodus nullam plane contraxerit labem versumque intercalarium in syzygia tertia usus ad lacunam explendam sponte viam praemuniat. In Mediceo haec sunt:

μέγαν τ' ἀφῃρέθην ψάλιον οἴκων
ἄναγε μὰν δόμοις· πολὺν ἄγαν χρόνον
χαμαιπετεῖσε κεῖσθ' αἰεί.

Recte jam diu scribi coeptum est: *ἄνα γε μὰν δόμοι· πολὺν ἄγαν χρόνον χαμαιπετεῖς ἔκεισθ' ἀεί,* sed de reliquis anceps adhuc judicium est. Hermannus conjecit *μέγα τ' ἀφηρέθη ψάλιον οἰκετῶν*. Ahrensius, quem Weilius secutus est, *οἰκίων*; verumtamen neque *τε* tolerari potest antecedente epiphonemate, neque unde *ν* littera in *ἀφηρέθην* profecta sit, intelligitur, neque alter dochmiacus, qui a longa anacrusi ordiri debet, cum strophico est exaequatus; inauditum enim foret in quattuor dochmiacis bis esse liberiorem responsionem admissam. Quare nos quidem Aeschylum sic scripsisse suspicamur:

μεγάλ' ἀφηρέθη νῦν ψάλι' οἰκέων.

Vox *οἰκεὺς* rarior illa quidem, sed tragicis tamen poetis usitata est forma pro *οἰκέτης* iidemque poetae pluralem *ψάλια* singulari praeferre solent; *νῦν* autem eruimus ex *ν* littera, quae in Mediceo verbo *ἀφηρέθη* est adjecta. Neque ulla in eo est offensio, quod vincula non *οἴκοις*, sed *οἰκεῦσιν* adempta dicuntur, de qua re Weilius dubitavit: „*At hoc loco ipsa domus humi afflicta se rursus erigere jubetur, quae praeparanda erant, non ea quae stropha praecedente exposita sunt, post versum intercalarem continuanda.*“ Prorsus nihil interest, utrum *οἶκοι* an *οἰκεῖς* dicantur liberati; eodem enim modo in his: *ἄνα γε μὰν δόμοι,* non domus ipsa, sed universa Agamemnonis familia est intelligenda. In fine unum dochmiacum deesse docet mesodus, sed felicissimo casu contigit, ut, quae perierint, certissime evinci possit. Nam quum tertia stropha epiphonemate conclusa sit hoc: *πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν* itidemque in prima syzygia insignis sit verborum concinnitas: *ἔμολε μὲν δίκα . . . ποινά, ἔμολε δ' ᾧ μέλει . . . ποινά*: necessario requiritur etiam in mesodis hujusmodi aequalitas atque sponte se offerunt ultima mesodi verba *δυσοίμον τύχας,* quae non dubitamus, quin in antimesodo repetita fuerint:

ἄνα γε μὰν δόμοι — πολὺν ἄγαν χρόνον
χαμαιπετεῖς ἔκεισθ' ἀεὶ —
δυσοίμον τύχας.

h. e.: „Esurgite aedes — diu enim humi jacuistis — ex fortuna adversa.“ Atque ne quis hoc epiphonema nimis sejunctum ab iis credat, ex quibus id pendens fecimus: *ἄνα γε μὰν δόμοι,* exemplo sit ipsa illa structura, quae in prima est antistropho:

Διὸς κόρα — Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν βροτοὶ τυχόντες καλῶς —
ὀλέθριον πνέουσ' ἐν ἐχθροῖς κότον.

Ultima stropha adeo est perturbata, ut quid ab Aeschyli manu profectum sit, pro certo dici nequeat. Sed licebit tamen emendandi periculum facere, praesertim quum demonstrari possit, minus eam lacunosam esse, quam nuper a Weilio habita est. Mediceus haec habet:

τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται
ἀφ' G.
πρόθυρα δωμάτων, ὅτ' ἂν ἀμφ' ἑστίασ
η
μύσος πᾶν ἐλάσει
καθαρμοῖς ἅπαν ἐλατήριον.

τύχᾳ δ' εὐπροσώπωι κοίται τὸ πᾶν
ἰδεῖν ἀκοῦσαι θρεομένοις
μετοικοδόμων πεσοῦνται πάλιν. κτλ.

Quae Weilius sic mutavit:

Τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται
πρόθυρα δωμάτων [◡ ◡ ◡ – ◡ –]
ὅταν ἀφ' ἑστίας πᾶν ἐλαθῇ μύσος
καθαρμοῖσιν ἀτᾶν ἐλατηρίοις.
τύχᾳ δ' εὐπροσώπῳ κοι[*μᾶ*]*ται τὸ πᾶν.*
τρέομεν ἃς [*δ'*] *ἰδεῖν ἀκοῦσαι* [*θ'*] [◡ –]
μέτοικοι δόμων πεσοῦνται πάλιν.

At in priore quidem parte nulla est caussa, cur dochmiacum ordinem interiisse putemus, si stropha ita scribitur, ut supra eam scriptam exhibuimus neque in scholio: *ὁ πάντα τελῶν χρόνος τὰ πρόθυρα τῶν δωμάτων ἀλλάξει ἀπὸ κατηφείας εἰς λαμπρότητα*, inest quidquam, quo Weilii opinio confirmetur. Verba enim *ἀπὸ κατηφείας εἰς λαμπρότητα* explicandi caussa adjecta sunt, ut, qualis futura esset mutatio, illustraretur neque ulla interceptae sententiae vestigia continent. Hoc vero probamus, quod Weilius hanc instituit verborum trajectionem:

ὅταν ἀφ' ἑστίας πᾶν ἐλαθῇ μύσος,

nisi quod *ἐλάσῃ* retinendum censemus, quum tempus ipsum mutationem facere cogitetur, ut et scholiasta recte interpretatur et similes loci docent: Eumen. v. 286 *χρόνος καθαίρει πάντα γηράσκων ὁμοῦ.* Neque addere debebat chorus, qualis futura esset aedium mutatio. Aegistho enim et Clytaemnestra trucidatis quae alia esse poterat, nisi fortunatissima, simulac matricidium elutum est? Pro *ἀτᾶν*, quod Schuetzio auctore vulgo legitur, *ἄταν* restituendum est, quod propius ad Mediceum accedit et ex *ἐλατηρίοις* suspensum est, ut in primo carmine *χοὰς προπομπός* et similia. Haec certa putamus, in reliquis vero ultra probabilitatem quandam progredi non licet. Nam quum verba *τύχᾳ δ' εὐπροσώπωι κοίται κτλ.* intuemur, confestim apparet numeros antistrophicos adeo differre a strophicis, ut omne emendandi consilium abjiciendum videatur. Verumtamen trajectis verbis *τύχᾳ εὐπροσώπῳ* numeri bene procedunt:

στρ. *κρατεῖ δ' ἀεί γέ πως τὸ θεῖον. παρὰ τὸ μὴ*
ἀντ. *κοίται τὸ πᾶν ἰδεῖν ἀκοῦσαι θρεομένοις.*

pariterque:

στρ. *ὑπουργεῖν κακοῖς. ἄ|ξιον δ' οὐρανοῦ|χον ἀρχὰν σέβειν.*
ἀντ. *τύχᾳ δ' εὐπροσώπῳ | μέτοικοι δόμων | πεσοῦνται πάλιν.*

Sic igitur metro suadente ad trajectionem deducimur, qua hoc simul fit, ut violentioribus conjecturis abstinere jubeamur. Atque posteriora quidem prorsus sana sunt:

τύχᾳ δ' εὐπροσώπῳ μέτοικοι δόμων πεσοῦνται πάλιν.

facileque intelligitur, quid sententiae contineant: *Ii qui adhuc inquilini aedium et exules fuerunt, nunc laetiorem rerum suarum condicionem nanciscentur, qualis Agamemnone vivo fuerat.* Priora autem *κοίται τὸ πᾶν ἰδεῖν ἀκοῦσαι θρεομένοις* qua ratione restituenda sint, suspicari licet, pro certo dicere non licet. Hoc tamen manifestum videtur *κοίται* nec cum Hermanno ejiciendum esse, nec cum Weilio mutandum in *κοιμᾶται*, sed antiquitus scriptum fuisse *κεῖται* imagine a talorum jactu ducta, ad quam *πεσοῦνται* in sequentibus pertinet. Reliqua sic conformanda censemus, ut *θρεομένοις* auctore scholiasta, qui Genetivum, non Dativum legit: *λεγόντων ἀκοῦσαι*, mutemus in *θρεομένων* ejectoque verbo *ἰδεῖν*, quod jam Hermannus expulerat, inseramus voculam aliquam, qua, quomodo res ceciderit, significetur: *καλῶς*. Quo facto hic prodit versuum sententiarumque ordo:

κεῖται τὸ πᾶν [καλῶς] ἀκοῦσαι θρεομένων,
τύχᾳ δ' εὐπροσώπῳ μέτοικοι δόμων πεσοῦνται πάλιν.

In ultima igitur stropha chorus laetatur felici rerum statu, sed animo simul praesagit, Orestem nondum omnem fortunae vexationem effugisse atque tecta hac culpae, quam Orestes matris caede commiserat, mentione viam praemunit ad postremam fabulae partem, in qua Orestes animo perturbatus Furiarumque terribili adspectu perterrefactus inducitur.

Peracta disputatione totum carmen ad nostram sententiam conformatum ac dispositum uno in conspectu ponamus:

στρ. α'.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

Ἔμολε μὲν δίκα Πριαμίδαις χρόνῳ βαρύδικος ποινά.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

Ἔμολε δ' ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος
διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης. ἔλασε δ' ἐς τὸ πᾶν
ὁ πυθοχρήστας φυγὰς θεόθεν εὖ φραδαῖσιν ὡρμημένος.

μεσ. β'.

ΧΟΡΟΣ ὍΛΟΣ.

Ἐπολολύξατ' ὦ δεσποσύνων δόμων ἀναφυγὰς κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς
ὑπαὶ δυοῖν μιαστόροιν, δυσοίμου τύχας.

ἀντ. α'.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

Ἔμολε δ' ᾧ μέλει κρυπταδίου μάχας δολιόφρων ποινά.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

Ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ χερὸς ἐτήτυμος
Διὸς κόρα — Δίκαν δέ νιν προσαγορεύομεν
βροτοὶ τυχόντες καλῶς — ὀλέθριον πνέουσ' ἐν ἐχθροῖς κότον.

στρ. γ'.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

Τάπερ ὁ Λοξίας ὁ Παρνάσιος μέγαν ἔχων μυχὸν χθονὸς ἐπορθίαξεν, ἀδόλοις δόλοις
βλάβαν ἐγχρονισθεῖσαν ἐποίχεται.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

κρατεῖ δ' ἀεί [γέ] πως τὸ θεῖον. πάρα τὸ μὴ
ὑπουργεῖν κακοῖς, ἄξιον δ' οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν. πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.

ἀντιμ. β'.

ΧΟΡΟΣ ΟΛΟΣ.

Μεγάλ' ἀφῃρέθη νῦν ψάλι' οἰκέων· ἄνα γε μὰν δόμοι — πολὺν ἄγαν χρόνον
χαμαιπετεῖς ἔκεισθ' ἀεὶ — δυσοίμου τύχας.

ἀντ. γ'.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

Τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται πρόθυρα δωμάτων, ὅταν ἀφ' ἑστίας πᾶν ἐλάσῃ
μύσος καθαρμοῖσιν ἄταν ἐλατηρίοις.

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

κεῖται τὸ πᾶν [καλῶς] ἀκοῦσαι θρεομένων,
τύχᾳ δ' εὐπροσώπῳ μέτοικοι δόμων πεσοῦνται πάλιν. πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.

Scripsimus Vratislaviae III ante Kal. Febr. MDCCCLXII.